

VERMIVM INTESTINALIVM  
BREVIS EXPOSITIONIS  
**CONTINVATIO**

AVTORE

PAVLO CHRISTIANO FRIDERICO WERNERO

MEDICINAE BACCALAVREO.

CVM TABVLIS II.



LIPSIAE  
APVD SIEGFRIED LEBRECHT CRVSIVM  
MDCCCLXXXII.

VERMIVN. INTITULATI  
HABET E. C. 1711. M. 12.  
**CONTINUATIO**

LIBRI CHRISTIANO-DICTIONARIO  
MEDICINAE SPECIALEO.

CHRISTIANUS. LIBRI.

EPISTOLAE

AD SINGULARES INVENTICIA

MDCCLXXXII

## INTROITVS

**Q**ui ego iam scripto quodam in helminthologiae vsum, num symbolam conferre possem, tentaui, nunc eius continuationem edere non dubito, siquidem fabrorum more ex minoribus frustis commodum saltem sistema aedificari posse mihi persuasissimum fit. Id enim quod in prioris libelli proemio iam adduxisse memini, neglectam nimirum olim helminthologiam iam maiori cum studio elaborari atque iconibus descriptibusque accuratius exaratis hanc necessariam doctrinam eo facilius tradi res ipsa loquitur. Quamuis vero a Celeb. Viris non solum inuentorum, quae eorum originem structuramque concernunt, orbi litterario affatim traditum sit, verum etiam adhuc varia eiusdem tenoris scripta expectanda veniant, nostram hancce tamen suscepitam operam non plane superfluam fore ideo putauimus, quod reperita conamina atque noua quaedam addita exempla rem detectam eo certius enucleataram atque confirmaturam esse suspicabamur. Enim vero quam multa adhuc in vermium natura indaganda restant, et quam facile accidit, ut saepius in eiusmodi arduo sane perscrutacionis negotio quaedam sensus praeteruolent? Eo ipso autem

A 2

tem-

tempore, cum iam sub priori huius thematis tractatione prelum sudaret, et post illud in dissecandis animalium, quibus vix non semper occupor, corporibus multae vermium species mihi obuenere. Curabam quidem eas depingi, opusculo vero adiungere nec tempus nec reliquae conditions concedebat. Ad hunc meum autem fluctuantem animum accedebat variorum patronorum praeprimis vero Venerabilis Goetzii amicissima eumque firmans adhortatio, qui, quamuis in libello meo, quae notaret, inuenisset, me tamen ad prosequendum studium amicis et paene dixerim paternis consiliis instigauit. Ceterum ex anatome comparaata atque ex ascaridum taeniarum etc., quae in brutis stabulantur tum hoc nostro seculo tum et in posterum multa emolumenta in nostram artem redundatura esse atque ex probabilitioribus conclusionibus atque ex omnibus simul sumtis obseruationibus atque exemplis veri quid tandem deduci posse tam certum est, ut si aliquid addere auderem, in tanta rei claritate, vel insectiae vel vanae ostentationis me met arguerem ipsum. Trado igitur Tibi Beneuelle Lector et hasce obseruationes, quas ut aequo animo accipere atque penitusare velis ex animo opto. Quod si feceris et in posteriorum ea animalecula, quae nos aequo ac cetera animantia infestant, persecutari pergam, et si noui quid in iis offenderim Tecum parili fide et candore communicabo.

*Gordius.*

*Gordius.*

**A**d vermes intestinales accessorios Gordius<sup>1)</sup> etiam, cui secundum Pallasium corpus filiforme, aequale, laevissimum, os dilatatum, labio subrotundo concauo, cauda vncinulo terminata competit, numerari meretur. Is quidem ex eiusdem autoris opinione in aquis stagnantibus habitat, eorumque incolis piscibus nimirum atque insectis molestissimus hospes existit. Animali corpori etiam per alimenta et potu- lenta implantatur, ut itaque proprie non intus generetur. Occurrunt autem huius vermium generis dueae praecipuae species, videlicet is, quem modo descripsimus Gordius atque alter, cuius mentionem iam Arabes sub Venae Medinenis nomine iniecerunt. Nos vero de hac Gordii specie nihil dicamus, quandoquidem cum apud Cle- ricum<sup>2)</sup> atque Welschium, qui vix non omnes antiquiorum, tum apud Pallasium, qui l. c. plurimas recentio-

A 3

rum

<sup>1)</sup> Vid. Pallas. diss. p. 10.

Mülleri Zoolog. Dan. Havn. 1776. p. 212.

Linn. Syst. nat. Ed. 12. T. I. P. 2. p. 1075.

Brood. Fortfältning af Prov. Doct. berätt. p. 98.

Martin Ant. Rolands Abhandl. der Schwed. Acad. der Wissenscb. 1771. Vol. 33.

D. Blochs Abhandl. von Erzeug. der Eingeweidewürmer Berlin 1782. p. 33.

<sup>2)</sup> Cleric. L. l. b. cap. XIII.

rum scriptorum sententias collegit, atque per obseruationes eam in nostris etiam reperiri regionibus probauit, eius speciei notitiam sibi quisque comparare potest. Omnes autem qui de Gordio egerunt, autores, inter quos etiam Cel. Pallassius <sup>3)</sup> est, affirmant, huic venae medienensi siue Gordio affines vermes sub variorum animalium cute et insectis compluribus v. c. erucis inueniri, cuius rei demonstrandae ergo duas nuper mihi demum oblatas species, alteram ex marte alteram ex erucis defuntam iam explicite considerandas arripui, quo facilius ipsa doctrina de horum parasiticorum animalium natura atque crescendi modo tandem eruatur.

Erucarum Gordius <sup>4)</sup> filiformis, rotundus, plus minus albidus vermis est, qui tamen nonnunquam etiam rubellus appetet, longitudine sua raro septem, plerumque

<sup>3)</sup> Palast. diss. p. 12.

<sup>4)</sup> Aus der gemeinen Bärenraupe, Phal. Caia Linn. Spec. 38. einen dunkelrothen Fadenwurm 5 Zoll lang.

Aus der Schildraupe von Papil. Quercus Linn. 222. einen weissen Fadenwurm  $4\frac{1}{2}$  Zoll Lang.

Aus der gemeinen Nesselraupe P. Vrticae L. Spec. 167. einen gelblich grauen Fadenwurm 6 Zoll lang.

Aus der Rüsterraupe P. Polychtoros L. Sp. 166. einen weissen Fadenwurm 6 Zoll lang.

Aus der grünen Schildraupe von Pap. Betulae L. Sp. 220. einen weissen Fadenwurm 5 Zoll lang.

Aus der grossen Quittenraupe Phal. Quercus L. Sp. 25. habe ich aus einer Raufe 3 weisse Fadenwürmer von 7 bis  $7\frac{1}{2}$  Zoll lang bekommen.

que quinque vel sex aliquando etiam quatuor pollices compleat. Glaberrima quae ei superficies est tantam cum ea glaberitie duritatem coniunctam habet, quae leuiori comprimenti vi non facile cedat. Vtique extremo attenuatur, illud vero quod capit is nomine appellandum videtur, aliquantulum obtusius appetat et tribus quasi oblongis labiis munitum conspicitur. Medium haec labia intercedens spatium aliqua obtusa prominentia replet, ex qua tenuis alba exorsa linea ad caudam usque proficitur. Interior communis membranae circulis notata superficies totum animalis corpus emetitur, ipsorum annulorum interstitia vero substantia cellulari, cui corpuscula rotunda inspersa sint repletur. Sub tenuissima et in vincum quasi desinente cauda vero foramen rotundum, canalis nutriti exitus exsculptum reperitur. Motum sat viuidum exercet, ita ut extrema conuoluat, versusque medium corpus attrahat, quo facta partes convolutas celerrime evoluens a priori loco in longe remotionem semet ipsum proicit. Est autem nostrum animalculum infectis admodum nocuum, unde etiam absque dubio venit, quod papilionum aucupes illud proprium suum hostem appellitarint. Tam multas enim erucas corrumpit, ut persaepe integrorum annorum fructu, papilionibus eos priuet. Videtur autem non omnibus sed quibusdam tantum erucarum speciebus proprius esse, ita tamen ut in plurimis atque plerisque inueniatur. Mirum autem omnino est, quomodo in tam arcto spatio, quale erucarum est, tam longus vermis contineri et viuus degere possit, cum nos omni dato studio eum

in tam paruam molem redigere non valuerimus. Exerit autem in viuo adhuc erucae embryone nullam sui praesentiam verum potius eo ipso demum tempore, quo metainorphosis incipit, plerumque unus, raro duo vel tres prodire solent. Animaduerterunt insimul etiam Infectologi illas erucas, quae ab eiusmodi verme inhabitantur, segniss et difficilius quidem fese mouere, in devorandis vero foliis esse voracissimos, unde sagaciiores ex hocce ultimo signo eorum verminosum statum infallibili ore vaticinantur. Conueniunt igitur ratione voracitatis erucae cum hominibus atque aliis verminosis animalibus, vt pote quae omnia eiusdem generis sanis gulosiora deprehendi solent. Estne vero hicce Gordius papilionibus vel erucis connatus? Videtur hoc exinde comprobari, quod iis plerumque tantum unus et in quibusdam speciebus solummodo inest, nec eo ipso loco, quo erucae colliguntur, hucusque similis vermis inuentus fuit. Contrahuntne porro erucae arborum incolae potius eodem tempore forte huncce ingratum hospitem, a quo deinceps perfodiuntur, postquam a ventis in terram deiectae sunt? quod quidem praecipue contingere deberet, si terrae vel paludum incola esset ille vermis. Deuorantne denique erucae illius ouula simul cum foliis? Quae harum opinio vera sit, ego definire non ausim, cum adhuc nondum assatim obseruationum colligere licuerit; meretur tamen haec res vtique eruditorum attentionem. Siquidem de eius inhabitatione atque natius loco institutae disquisitiones superflue non futurae sint, verum potius humano generi proficiare, cum iidem non infre-

quenter

quenter in hominum intestina forte per alimenta aut  
potulenta deueniant, ex quibus acerbi admodum adsci-  
titi mōrbi enascentur. Eiusmodi historiam ex Celeb.  
Practici ore percepī, qui aliquam ex omni parte Gordio  
analogam speciem in aegrota olim sibi aliquoties obue-  
nisse asserebat. Ipsi vermes autem tam celerem et  
velocem motum exercuerant, qui eius admirationem  
maxime mouisset, durissimas enim facces quasi sine vlo  
impedimento permeauerant.

*Gordius Martis.*

Inter alia animalia, quorum dissectione vix non sem-  
per vacare soleo, martem accepi, quem statim ac ace-  
peram, omni dato studio disquisiui. Praeter reliqua  
vero in hoc animali singularia organa conuertebant pul-  
mones attentionem meam quam maxime, quorum dex-  
ter duas, sinister tres nucem suellanam magnas vesicu-  
las sub eo loco, in quo bronchia diuariationes efficiunt,  
continebat; perlucebant earum tenerrimas membranas  
vario modo contorta albidiora filamenta. Lamina fila-  
menta haec cingente cauta manu aperta atque reclinata,  
aquoſi fluidi pauxillum dimanabat, in qua modo de-  
scripta teretia filaments antea fluclitarant. Erant autem  
hi Gordii, quos nunc esse intelligebam, rotundi, neque  
adeo duri, ac antecedentes. Ipsi albidi granulisque in-  
farcti Gordii vero nulla arte ne leui quidem macera-  
tione extricari poterant, quare nec caput nec cauda appa-  
rebat. Folliculi hosce Gordios continentis bronchiorum  
diuisioni potissimum insidebant, atque orificio quodam

in ea hiare videbantur. Simul minores eiusmodi cystides tam versus acutam quam latam pulmonum partem exteriori loco deprehendebantur: Microscopio vero subiectae horum vermium particulae tum integræ tum etiam sub compressorii instrumenti tortura granulosam eique antecedentis generis analogam substantiam exerebant.

*Lumbrici muris domesticae minoris.*

In muris domesticae minoris femellæ dissectione praeter mesenterii lacte turgida vasa, quorum diameter ratione magnitudinis huius animalis amplissima erat, praeterque albescentes pulmones, qui compressi lacti similem spumescensem humorem in asperam arteriam fundebant, cum ventriculum aperirem, tres lumbrios duos et dimidium pollicem longos deprehendi. Vetus corum rotundus et crassior, duo reliqui vero teneriores et in extremis magis plani erant. Ulteriori disquisitione instituta hos planos, mares, illum feminam esse apparuit. Vtroque sexu trilabiatum caput, corpus vero annulis ornatum est. Mares planiores sunt feminis atque in postica parte fine cauda præcipue latiores, ut haec extremitas pennata dici mereatur. Lineæ longitudinales, quas ex humanis in priori schediasmate descripsimus in exteriori superficie nullae erant, interius cauum autem a capite incipiente et obscuriori colore tincto canale crassiori repletum deprehendi, circa quem variae diametri tenuia tamen spermatica vasa decurrebant.

Alter

Alter vermis siue semina, quoad corpus crassior, pinguior, in exteriori superficie duabus lineis dorsali et abdominali insignis, in abdominali tria orificia ostendebat, quale vnum in humanis lumbricis seminis deprehendi superiori scripto diximus. Interior sere cum humanis lumbricis contueniens structura in eo tamen differebat, quod organa genitalia tribus distinctis locis per inferioris dictae lineae foramina huiarent. In quibus locis etiam minimi vasorum spermaticorum rami expansi obueiebant. Canalis alimentarius ampliori principio a capite procedens lutea materia repletus ad caudam usque pergit, per cuius orificium aperitur.

### *Lumbrici Canis.*

Lumbricorum autem genus etiam amplius patere ac huicisque creditum fuit, in Cynotoma aliqua obseruavimus. Deprehendimus enim in dissecti canis coeco intestino, quod, ut notum est, a humano multis modis discrepat, vermium sane magnam farraginem. Praeter aliquot taeniarum frusta enim et ascarides inuenimus etiam vel viginti duos pollices longos vix unam lineam latos lumbricos. Hi lumbrici quidem fugitivo oculo quod dicunt considerati, cum reliquis in humano corpore deprehendendis summam alere videbantur fabricae similitudinem. Ast vero admota lente multa in conspectum proibant, quibus priorem sententiam permutatae cogebantur. Trilobum enim quod illis solemine esse consuevit os in his non tam aequabili modo exaratum ut in humanis quidem est, verum eius fulcorum duo profundius

fundus excisi tertium haemispherium seu si malueris labium promissius ostendebant. Caput ceteroquin rotundum non erat, verum magis applanatum, quod ad duo oppofita latera pinnas quasi aliquas ostenderet, iis quibus catapultarum tela muniri folet, similes. Externus limbus pinnarum crassior et cartilaginea quasi crepedine instructus duas lineas post caput ad corpus, rursus accedens totum pinnarum cursum emetiebatur. Adhibita vero omnia ductuum deprehendendorum ergo instituta studia vana erant, atque incassum adhibita, niſi quod a pinnarum fine lineae laterales maxiinae inciperent, per omne verinis corporis decurrentes, superiorem atque inferiorem corporis partem autem vix conspicuae lineae emetiebantur. In eidimus eapropter in eam opinionem, vt pinnas has facilioris progressus atque motus ergo additas a summo Creatore existimaremus. In reliquo corporis habitu neque longitudinales lineae vt iam innui neque annulares fibrae sive circuli deerant, quorum priores dissecto eiusmodi animale viuo suam virtutem potissimum exerebant, quippe quibus etiam exenterato alveo expansa cutis contraheretur. Poterant etiam sub idem contradictionis tempus vel nudis et ad obseruandum parum idoneis oculis turgescentes harum linearum musculi sub forma longiorum nodulorum videri, quid quod fere manibus palpari. Quod vero hicce lumbricus dissecatus disruptus ad omnes directiones, vitae adhuc indicia exerrerit, quodque motus eius ad alterum, immo tertium usque diem durauerit, id in hoc animalium genere prorsus singulare non est, cuius vitalitas iam diu

naturae

naturae scrutatorum communioit animaduersionem. Generationis organa autem quod attinet, ea humanaorum lumbicorum organis in utroque sexu simillima apparetant, si hanc aberrationem, quod videlicet marium simplex seminarum duplex spermaticus canalis circa alimentarium canalem, in canina specie tortuoso modo progrediens, cincinnos refert, excepereis, qui ipsi cinni per communia integumenta etiam transparebant. Cauda acuminatum apicem et sub eo incisuram intestini exitum ostendens, ex iconismo iam satis intelligitur, ita ut ex hac ipsa descriptione elucescat, hanc speciem non multum a humano lumbrico discrepare.

*Taenia Hydatigena* 5).

In duabus aliis murium domesticarum minorum femellis grauidis, quas dissecui, vasa galactophora turgidissima ac ratione huius parvi animalis admodum ampla erant. Ex pulmonibus uti in antecedenti obseruatione cum comprimerentur, lacti similis spumosus humor, forsitan crudus in sanguine adhuc per vasa fluens chylus per bronchia in asperam arteriam transibat. Sed haec in transitu de medio ventre dicta funto, insimus enim venter me magis attentum reddebat. Enim in hepatis secundo lobo, ubi ab altera incisura diuiditur, ut faba magna albidaque vesicula statim aperto infimo ventre eminebat, quae tenui contextu celluloso hepatis lobo accreta

5) Bloch l. c. p. 23. vermis vesicularis taeniae formis, *der bandartige Blasenwurm.*

accreta cum inferiori et media eius parte per pedunculum eum vasis hepaticis connectebatur. Dissecabam eum suspensa manu, quo facto taeniam articulatam viuam et conuolutam facilissime extraxi. In vacua clystide remanebat substantiae caseosae magna copia, quae taeniam circumdederat, et vel eius excrementum vel nutritia matieres videbatur. Neque tamen alba haecce granula microscopio considerata organici quid exhibebant. Exepta taenia initio caput retrahebat, ut eius loco fouea quasi depresso cerneretur; postquam vero per horae spatium in aqua detenta radiisque solis exposita fuisset, promittebat illud iterum, quinque papillis notatum. Media harum maximaque siue proboscis in antica parte obtuso circulo vel annulo circumscripta tanquam per collum cum reliquo capite cohaerebat. Pone et post hancce probosciden quatuor reliquae papillae, in superiori aequa ac inferiori superficie duae eminebant, tam paruae, quae simul sumtuae magnitudine vix medianam aequarent. Integra taenia sibi relicta duos et dimidium, mediante manu diducta vero tres pollices longa erat. Succulenta apparebat ita, ut vtraque superficies non plana verum in media parte potius conuexa appareret. Qui papillae proximi erant articuli, quod latitudinem attinet, angustiores, in medio corpore deprehendendi latiores, versus caudam denique iterum angustati conspiciebantur, omnium longitudo vero nullam differentiam ostendebat. Per omnium articulorum medium, canalis amplus a capite ad caudam usque, in singulo articuli medio quasi diffusus decurrebat. Ultimi demum articuli caudam efficientes

sientes in dilatatam vesiculam terminabantur, foramine pertusam quidem atque adeo amplam, ut integra taenia facile in eam recondi posset. Eo loco, quo ultimus articulus in vesicam extendebatur, substantia cellulosa vel villosa inferius articuli orificium vndequaque cingebat. Inter capitis ornamenta autem maxima, media nimis obtusa et quasi detruncata papilla ab anteriori limbo tuberculis vel vesiculis fugentibus simplici serie positis condecorata erat. Hae vesiculae fugentes in vaginis reconditae, nec libere flucentes in tubos ad medium centrum usque procedentes continuabant; concretionem autem cum corpore tam firmam collumque tam breve habebant, ita ut accretae esse viderentur. Vaginularum limbos nullos vidi, quorum locum fortassis illi ipsi tubuli, in quos vesiculae vel noduli exterius hiantes continuant, suppelere debent. Numerus tuberculorum ad triginta accedebat.

Aliam dissecui murem, in cuius quarto hepatis lobo non tam longe ab margine insidentem folliculum deprehendi, qui tam in superiori quam inferiori lobi superficie eminebat. Suspensa manu eo aperto vesiculam rugosam et contractam inueni, quae exenta atque aquae immissa hiatum in media vesicula ostenderet. Dilatata hacce apertura apparebat in sphaerulae centro perfectum taeniae caput, quod duobus articulis cum cystidis pariete cohaerebat. Iucundum hocce spectaculum, postquam lentium ope penitus disquisueram, primum exortum atque principium huius generis taeniam mihi demonstrare videbatur. Ipsa nascens taenia vero in ea pauca

pauca aqualae quantitate, quae in ipso folliculo aderat, fluctuabat.

Similis sat magnus taeniam hydatigenam includens folliculus insidebat alias muris semellae tertio hepatis lobo. Exterior eius membrana vasis rubris, ex quibus forte taenia succum nutritium hausit, eleganter picta apparebat, qua aperta quartam et quod excurrit vlnae partem longa et conuoluta taenia suac vitae vigorem valida euolutione testabatur. Huius taeniae in apicem trindum desinens cauda, vesicae, quae huius speciei proprium characterem constituit, defectum ab initio indigere videbatur. Inerat ea tamen in profundiori folliculi cavo separata, quae sub ipso animalculi exitu haud dubie abrupta fuerat. Etenim ex media vesicula vltimo articulo inherenti apici respondens et fortasse cauum filamentum eminebat. Ipsa autem vesicula clausa, eius lateri inaequale albidum corpus adhaerere visum est. In aquam immissa taenia primis temporis momentis rigebat, postea vero caput ex congregato corpore protrudens hinc inde sese mouebat, haud secus ac si fugendi materiam quaereret. Enim caput primo attollens atque erigens, deinde serpentino motu reliquos articulos attrahens vasculo innatabat, atque hoc per totum corpus ad vltimos caudae articulos usque continuato motu per sex horas, per quas eius vita durabat, sese viuide satis promovebat. Sub finem illius spatii vita cum motu sensim extinguebatur; inturgescebat etiam eo ipso tempore articulorum vltimi ita, vt eorum plana figura in rotundum aqua plenum tubum mutaretur. Haec aqua vero

ob

ob defecum melioris nutrimenti a taenia fuerat resorpta vel in eius spongiosam fabricam ipsa sese insinuarat, quod in priori domicilio vbi crassioribus humoribus tanquam sero et lympha innatarat, nullo modo poterat contigisse.

Videturne haecce taenia, quae eremitarum more in propria aliqua cellula degit. omnes taenias hermaphrodit generis esse nouo argumento demonstrare? mihi utique rem persuasit, siquidem ne ullum exemplum legisse memini, quod plures huius speciei taeniae in uno folliculo deprehensae fuerint.

*Taenia canina gracilibus, oblongis articulis, tuberculis marginalibus oppositis.*

De taenia canina, quae in priori meo libello 6) atque in Cel. Blochii libro 7) descripta extat, notanda adhuc quedam veniunt. In fele grauida, doloribus atque conuulsu motibus saepe correpta, ita ut ad parietes se apprimens furiosa quasi discurreret, atque deinceps abdomen praे nimis doloribus coarctando misere se torqueret at in fine paroxysmi cursitando circulum quasi describeret, usque dum his motibus per dimidiam interdum horam factis terrae prostreretur, duodecim eiusmodi taenias post mortem inueni. Habitant in eius ileo atque cum canina gracili summam alebant similitudinem. Quandoquidem eam nec longitudine nec re-

liquo

6) p. 68.

7) N. 15. 19.

liquo habitu superant, quippe quae quartam vlnae partem et quod excurrit emetuntur. Caput <sup>8)</sup> quinque papillis insignitum, mediaque ex his cum laciinis <sup>9)</sup> sine vaginulis simplici ordine positis ut acutissima proboscis appetet. Reliquae quatuor longe prominentiores tumentioresque papillae, striis a margine externo ad medium centrum descendantibus eadem ratione exaratae erant, vt in priori libello exposuimus. Quod ex hisce oritur lineam fere longum collum articulis distinctum non est, nihilo secius tamen per illud tum ex media tum ex lateralibus papillis tubi sive canales ad reliquum corpus properare visi sunt. Ex lateralibus papillis exorti ductus in articulorum laterales ductus finiuntur. Medius vero eo loco, quo primi articuli incipiunt, evanescit. Primi articuli atque medii trapezoidei vltimi vero quadratis oblongis similes sunt. Interior structura ab illis articulis ex cane depromptis et l. c. descriptis nullo modo differt. Anne igitur haecce structurae diuersitas, quae tam ratione capiti proximorum articulorum, quam capitis et colli non articulati diuersitate conspicua est, specie felinae proprius atque distinctius character sit? id quod mihi plurimum probabilitatis habere videtur, ego tamen vberiori eius.

<sup>8)</sup> Caput huius taeniae in spiritu vini conseruatae tabulae vitreae impositum tricuspidatum appetet.

<sup>9)</sup> Caput taeniae vitreae laminae recenter impositum et exsiccatum lacinias commonstrat ab exteriori sive libero fine nodosas.

eiusmodi vermium copia deslitus, quid in hac re veri  
sit, nunc definire non ausim.

*Ascarides ventriculi.*

Inter non indigenos humani corporis vermes eas as-  
carides, quas Andry, Redi, van Phelsum <sup>10)</sup> aliquie sae-  
piissime ex ore per vomitum reiectas pedibusque instru-  
ctas fuisse narrant, priori libello praeterire vitique non  
debuisset. Quoniam autem tunc temporis iis optimis  
auctoribus humani aliquid accidisse existimabam, eas in  
numerum humanorum vermium non collocandas esse  
existimau, praeferim cum earum nulla mihi sese obtu-  
lerit copia. Postquam vero a Celeb. Practico sibi plus  
semel eiusmodi pedibus instructos atque a vno electos ver-  
mes obuenisse audiueram, sententiam mutau, opportu-  
nitatem eas disquirendi audie desiderans. Tandem mense  
Iunio quinquaginta eiusmodi vermes accepi, qui a phti-  
fico, diaetae regulas ex omni parte sequente, vomitu  
versus vesperam numero quadringentenario fecesserant.  
Idem aegrotus se ante dimidium annum similem horum  
vermium copiam enomissem retulit, quod effecit, ut hanc  
speciem homini propriam et connatam esse, vltro neu-  
tiquam dubitarem; in qua opinione eo magis firmabar,  
quoniam neque in cibo neque potu externam morbi cau-  
sam reperi e poteram. Symptomata praecipua, sub  
quibus excernebantur haec fere erant. Versus vesperam  
vel etiam post prandium ab eorum motibus plurimas

B 2

mole-

<sup>10)</sup> Tab. III. fig. I. II. III. IV. atque Part. I. p. 41.

molestias et insuperabilem nauseam percepit, post cuius cruciatus eos viuos cum magna viscidi copia ore reddidit. Eiectae materiae vero nihil adsumti cibi inerat. Ipsi vermes aquae immissi ad alterum usque diem viuebant. Laetus de hacce noua praeda eos diligenter disquisiui, quos albidos, pollicem longos, a capite crassiores, versus caudam tenuiores deprehendi. Rotundum eorum corpus nouem incisionibus insigne ab inferiori planiori parte sex pedibus in singulo latere instructum apparebat; quantum autem satis vegeti essent vermes, frigidi tamen aeris prorsus impatiens erant. Etenim in aquam frigidam iniecti tanquam mortui rigebant, prunis vero cum vase impositi reuiviscere videbantur. Caput triangulare, crassumque erat, ita ut superior latior basis arcuata, inferior acutior et quinque tuberibus ceu labiis exsculpta conspiceretur. A duobus nigris punctis in antica capitatis parte obseruandis duo per dorsum ad caudam decurrentes et pulsantes canales descendebant, quorum ad latera demissi ramuli haud dubie vermem nutriuerant. Inter hosce duos albos canalis decurrebat aliis profundius coloratus, haud dubie alimentarius. Haec de structura et exterioribus signis characteristicis dixisse sufficient; interiorum ex causis mox exponendis silentio praeteream. Postquam vero hos ex disquisitione reliquos vermes tam spiritu vini quam aqua per aliquot hebdomadas detinueram, per totum corporis ambitum nigras maculas contrahebant, ob quod phaenomenon dubium in me exoriebatur, anne forsitan insectorum laruae sint, quorum ouula aeger ex esu casei vel carnis sibi contraxerit, sed eiuf-

eiusmodi nihil in antea obseruata diaeta, quae, ut superius iam iunui, exactissima erat, comperire poteram. Dissecabam eapropter aliquot maceratos vermes, atque exteriorem duram membranam ab internis partibus non difficulti opera separari et detrahi posse inueniebam. Ex quo mini longe siebat probabilius, eas magis muscarum embryones esse, quae etiam externum tegumentum lumen habere solent; idem et nouem illae intersectiones, quae numero cum iis ipsis intersectionibus muscarum conueniunt, affirmare videbantur. Pedes vero pro involucris pedum muscarum assumentebant. In hacce vero opinione paullo post humana ossa, quae aqua macerabantur, disquirens, confirmabar, cum vermes meis ascariibus ex asse similes inuenirem. Quamuis vero ex hac obseruatione omnis noui inuenti atque gloriolae spes extemplo collaberetur, nihilo secius tamen laetabar, quod eorum veram familiam et ipsos prauos muscas nimirum detexeram. Sunt igitur eae ascariides, quas Andry, Redi, van Phelsum l. c. depinxerunt et ex quorum Cel. Autorum iconibus de singulari hac specie ab initio conuictus eram, nil nisi muscarum laruae. Per quam vero viam eae cum nostro aegroto communicatae fuerint, ego vtique discernere non valeo. Interea tamen hoc mihi maxime probabile est, eum nostrorum vermium ouula ex esu elixae prius autem per aliquot dies aeri liberiori expositae carnis sibi contraxisse. Muscae enim eo tempore, quo excernebantur, iam nobis satis molestae erant, iamque ouula disseminabant. Quo autem ea ouula vel ex esu pernae ingurgitauerit, ob strictam aegri

B 3.

diaetam

diaetam non improbabile videtur. Apposui huncce casum ea de causa, ne alii eodem modo, quo ego hallucinentur, quod absque dubio Heberdenio <sup>11)</sup> accidit, cuius casus nostrae obseruationi simillimus est. Qualis medicina in debellandis hisce vermis maxime respondeat, eam tractationem practicae parti referuo.

<sup>11)</sup> *Arzneykundige Abhandlungen, aus dem Engl. übersezt, von D. Krause, Leipzig bey Fritsch 1768. p. 43.*

Tabiz.

*Tabularum Explicatio.*

Tab. VIII.

- Fig. I. Lumbrici maris ex mure naturalem speciem si-  
fit a) os b) cauda est.
- Fig. II. Eundem lumbricum exhibit a) os b) cauda  
c) latiorem sive pennatam partem.
- Fig. III. a b c) tria oris labia atque annulos d) mi-  
croscopio auctos repraesentat.
- Fig. IV. a) cauda eodem instrumento considerata
- Fig. V. Lumbricum feminam dissectam, in qua sub a)  
os b) cauda c) canalis alimentarius e) canales  
spermatici sub d) eorum tria adhaesioneis pun-  
cta in conspectum veniunt.
- Fig. VI. a) vnius trium canalium spermaticorum finem  
cum adfluentibus vasis ostendit.
- Fig. VII. a) horum orificiorum vnum in parte lineae  
abdominalis consideratum est.
- Fig. VIII. Aescaris ventriculi a latere obseruata vbi sub  
a) caput, in quo nigra puncta conspicuntur b)  
cauda c) intersectiones e) pedes d) os ap-  
paret.
- Fig. IX. Caput ab antica parte microscopio auctum a)  
lator eius pars duobus illis nigris punctis notata  
est, sub b) vero oris labia in conspectum prodeunt.
- Fig. X. Anterior capitinis pars a latere apparet. a) sum-  
mum caput b) vnum ex nigris punctis c) oris la-  
bia d) vero primum pedem denotat.
- Fig. XI. Caudae inferiorem superficiem repraesentat,  
cuius medianam aliquam lineam a) orificio b)  
eius

eijs duos extreemos fines autem litt. c) significant.

Tab. VIII.

Fig. XII. Litterae eundem significatum habent.

Fig. XIII. Ascaridem a latere confaciendam dat, ita ut  
a) capitis nigra puncta b) caudam c) lineam albam  
descendentem cum expansis ramis siue vasis nutritiis d)  
vero nigriorem per dorsum decurrentem  
forte alimentarium canalem ostendant.

Fig. XIV. a) pedis planta per microscopium aucta.

Fig. XV. Eadem ascaris aperta atque per lentem mino-  
rem aucta a) superior capitinis pars b) oris labia c)  
puncta nigra ab anteriori facie, futuros nimirum  
muscae oculos designantia exhibet d) cauda est sub  
e e e e) vas laterale cum surulis, qui fortassis fu-  
turus in muscis alas efficiunt g) tubum alimenta-  
rium h h h etc.) pedes commonstrant.

Fig. XVI. Gordius erucae naturali magnitudine visus a)  
os b) cauda est.

Fig. XVII. Eiusdem Gordii caput lente auctum a) ca-  
put c) cuspis ex bilabiato extremo eminens bb) sepa-  
ta, vel constrictos annulos commonstrant.

Fig. XVIII. Ex minori lente depictum Gordii caput ha-  
bet. Significat vero A a) medianam et tenuiorem  
superiorem capitinis extremitatem siue aculeum b b)  
duo eius lateralia labia c) granulosam corporis sub-  
stantiam.

Tab.

## Tab. VIII.

Fig XVIII. B. Extrémam caudam eadem ratione visam ostendit, a) cuspis emissâ ex medio fine b) crassior et tumidior extremitas d) granulosa substantia c c) linea ab inferiori corporis parte a capite incipiens ad caudam descendens.

Fig. XIX. a b b) maiora atque minora corpuscula in Gordio deprehendenda sub microscopio visa et aucta denotant.

Fig. XX. Gordii fasciculos ex martis pulmone desumtos naturali habitu exhibet a) truncum bronchiorum b b) eorum ramos c c c) vero Gordios adhaerentes commonstrant.

Fig. XXI. a) minima b) vero maxima Gordii ex marte filamenta naturali magnitudine repraesentant.

## Tab. IX.

Fig. XXII. Muris domesticæ hepar est, cuius maiores lobos a) et b) minores c) d e) distinguunt, f) adhaerentem et insidentem hepatis substantiae folliculum g) inflictam plagam significat.

Fig. XXIII. Taenia hydatigena naturali magnitudine exhibetur, in cuius capite a) a latere considerato tres tantum papillæ apparent. Post caput sub b b) latissimi simulque ab exteriori margine hinc inde corrugati et alterne dilatati articuli conspicui sunt, corpori adhaerens vesica c) caudam quasi efficiens apertura d) pertusa videbatur. Quae per medios articulos punctis notata latior linea descendit, ea in recenti statu albida apparuit.

## Tab. IX.

Fig. XXIV. Idem animal depictum silit a) medianam papillam siue proboscidem b b) laterales papillas c) latissimos articulos d) angustiores e) vesicam f) medianam albidae lineam g g) vnius articuli longitudinem significant.

Fig. XXV. Caput ab antica et quodammodo lateraliter parte consideratum ostendit ita tamen ut quinque papillae conspicuae siant, quarum medium a) laterales litterae b b b b) denotant c c) aliquot articuli sunt, in quibus appareat, marginem lateralem articulorum huius taeniae non vti in reliquis acutum verum obtusiorem rotundiorumque esse.

Fig. XXVI. Caput ab antica parte minima lente cum proboscide consideratum a) cuius media paullulum prominens substantia villosa apparet c) exterior nodulosus limbus siue vesicularum fugentium officia una cum accretis et centrum versus continuantibus vaginis sub d d) conspicuntur, b b) laterales papillae sunt.

Fig. XXVII. Aliud caput ab antica parte sub maiori lente collustratum est c) proboscidis media filamentosa elatior substantia d) vesiculae cum suis vaginis versus centrum conuergentibus b b) laterales papillae sunt.

Fig. XXVIII. Supra descriptam vesicam denotat a) vesica ipsa b b b b) membranae dissectae laciniae, in quarum cauo c) taeniae caput cum duobus articulis apparent.

Tab.

## Tab. IX.

Fig. XXIX. Taeniae hydatigenae naturalis habitus depictus est, qualis sub exemptionis tempore deprehenditur. a) Locus siue fouea, in quam caput absconditum est, quod nimurum in superioribus ductis articulis b) delitescit c) prolongatum caput d) caudam siue cuspidem designat, qua haud dubie cum hydatide cohaesit.

Fig. XXX. Caudae microscopio consideratae cuspidem in tres lacinias a) medium b) laterales diuisam exhibet.

Fig. XXXI. Eiusdem taeniae abrupta vesica a) filamentum quod cuspidem illam forte in se recepit et recondidit b) corpus albido ad latus vesicae accretum.

Fig. XXXII. Aliquot eiusdem vermis paullulum aucti articuli sub a) puncta quae medios articulos occupant, delineantur, b) laterales ductus c) inferiorem latiorem non acuminatam sed rotundam magis extremitatem articulorum habent.

Fig. XXXIII. Articuli qui in recenti statu crispati esse videntur.

Fig. XXXIV. Taenia canina gracilis a) caput cum collo non articulato. Articuli a litt. b) usque c) magnis trapezoidei a litt. c) usque d) oblongi apparent.

Fig. XXXV. Huius taeniae, quae per aliquod tempus in spiritu vini conseruata fuerat, vitreae laminae impositum et tricuspidatum caput ostendit.

Tab.

## Tab. IX.

**Fig. XXXVI.** Idem recens caput microscopio auctum  
suffit a) proboscis cum vaginulis b) laterales pa-  
pillae semper maiores et crassiores quam media, a  
papillis b) usque c) collum inarticulatum, a litter.  
c) usque d) articuli sunt, qui vix striam consi-  
tuunt.


**Fig. XXXVII.** Caput minima lente consideratum a) pro-  
boscis b) simplex vaginalium ordo, quibus in  
exteriori libero fine corpuscula rotunda adhaerent.  
c) laterales papillae, quarum exterior striatus  
margo medianus aliquam depressionem cingit. A  
litter. c) ad d) usque collum inarticulatum descen-  
dit, in quo sub litt. d) ex media papilla usque ad  
primum articulum pergens canalis deprehenditur  
per e) canales laterales ex papillis lateralibus in-  
cipientes et per omnes articulos transeuntes distin-  
guuntur.

**Fig. XXXVIII.** Lumbricus ex cane naturali magnitudine  
consideratus est. a) caput bilabiatum et pinnatum  
b) cauda.

**Fig. XXXIX.** Caput microscopio auctum a) duo oris  
labia b) capitis duas pinnas sifunt.


**Fig. XL.** Caudae speciem exhibet.

*Tab. VIII.*



*Capitulum 1. 1712.*

Tab. VIII.






Feller del.

Copieua sc. 1782.






*Tab. IX.*



Capieux. f. 1782.

Tab. IX.



Feller. Delg.

Capieux. sc. 1782.









*Sc. 2021*

5

ULB Halle  
007 365 624


3





W 18

*NC*











VERMIVM INTESTINALIVM  
BREVIS EXPOSITIONIS  
**CONTINVATIO**

AVTORE

PAVLO CHRISTIANO FRIDERICO WERNERO  
MEDICINAE BACCALAVREO.

CVM TABVLIS II.



LIPSIAE  
APVD SIEGFRIED LEBRECHT CRVSIVM  
MDCCCLXXXII.